D. 9. 8

TENTAMEN INAUGURALE,

DE

Sanitate ad Longaevitatem tuenda.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JACOBUS PROSSOR,

HIBERNUS.

The firſt phyſicians by debauch were made,
Exceſs began, and ſloth ſuſtains the trade.
By chace our long-liv'd fathers earn'd their food,
Toil ſtrung their nerves and purified their blood;
But we their ſons, a pamper'd race of men,
Are dwindled down to threeſcore years and ten:
Better to hunt in fields for health unbought,
Than fee the Doctor for a nauſeous draught.
The wiſe for cure on exerciſe depend,
God never made his work for man to mend.

DRYDEN.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

Ad diem 12. Sept. hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXVII.

Viro egregio,

JOSEPHO JOHNSTON, M. D.

Ob in arte Apollinea peritiam,

Ingenii ſuavitatem,

Morum quoque elegantiam,

Plurimi dilecto:

Nec non,

JOHANNI JOHNSTON, M. D.

Ob mutuam ſuam amicitiam,

Diu conſervatam et adhuc conſervandam;

Hoc tentamen,

Summa cum voluptate,

Offert

A U C T O R.

TENTAMEN INAUGURALE,

DE

Sanitate ad Longaevitatem tuenda.

MULTI morbi ſemitam vitae obſident, viatoremque incautum, parva ſaepe via ſuperata, ad orcum opprimentes tradunt, ab omnibus, qui in hac tam pulchra ſcaena chari fuerant, parentibus, natis, uxore, ex improviſo avulſum; multi, mortem, ut dolorum ſolum levamen, exoptandam reddunt, ita diſcruciant: Hos ergo in variis, quibus quotidie verſamur, latentes, benevolentiae in lucem proferre oculiſque ſubjicere, ut facile evitentur, delectat. Nec ſunt morbi inevitabiles, neque ab ipſa ſenectute individui; non pauci enim inter homi-

nes ſupremum ſpatium integra ſanitate vicerunt, et denique morti, ut ſomnio, ſe placide dederunt; normas quidem tam multas, ad hoc propoſitum conſequendum nunc tradendas, exequi, de appetituum gratificatione recedere, principio perdifficile videatur; at uſus graviora lenit, et praeclare praemium victori in curſu porrigitur, placida, vegeta longaevitas.

Inſidias morborum in noſtra corpora impetui praebent victus, ſtatus motus et ſomni, aër, animi affectus, ſinguli vitae neceſſarii, ſed vitiati, vel ſecundum rectam rationis regulam non uſurpati, illam vitam, cui ut praeſidia dati fuerunt, cito ſubvertentes: Mala ergo inde orientia, et praeſcripta, quae iis feliciter uti doceant, breviter at clare quam poſſum tradere, nunc aggrediendum.

CAP.

CAP. I.

DE VICTU.

Cibus et potus noſtris corporibus perſaepe applicantur, totamque ſuam materiem ſuppeditant; ventriculus, quo infunduntur, inteſtina, quorum iter perſequuntur, lato conſenſu cum univerſo ſyſtemate vigent, affectiones ſuas, tam malas quam utiles, longe lateque impertientes; errata ergo in victu, ad peſſimum multum valere poſſe, omnibus liquido patebit; quidem revera aſſeruere non dubitant, plura funera, ex his quam bello, ſeu peſte, originem ſuam deduxiſſe.

Natura aperta manu multas variaſque cibi diverſitates per orbem diffudit, regioni, tempeſtati, egregia ſapientia aptavit; ex his vero animalia et vegetabilia, ambo ad alendam vitam aſſumpta, ſua qualitate inter ſe praecipue diſcrepant; quaedam animalia, certis

dotibus

dotibus inſtructa, ab hoc, quaedam ab illo genere, cibum petunt: Alicui partes pro cibariarum aſſimilatione in homine paratas, dentium ſcilicet numerum et formam, ventriculi ſimplicitatem, inteſtinorum longitudinem et capacitatem, conſideranti clare elucet, hominem cum ex animalibus tum vegetabilibus cibum commode quaerere; hoc etiam conſectarium experientia comprobatur.

Nam vegetabilia, ſine aliis interpoſitis, perdifficile aſſimilantur, et multum aëris ſuppeditantia primas vias moleſtant, fibras ſuas diſtrahendo enervant, irritando in ſpaſmos cient, ructus, flatus, borborygmos, colicas creant, et neque materiem ſanguinis pro nutritione juſta quantitate praebent, nec, ſaltem in hac frigida et humida regione, corpus adverſus vim poteſtatum nocentium ſatis muniunt: E contra, diaeta, ex animalibus aliis incomitatis confecta, non diu toleranda eſt; nam ruborem et ſanguinis gluten jam elaboratum tanta copia ſuppeditat, ut in vaſis ſanguiferis retentum plethoram et ſequelas ejus cito inducat; at praeterea, cum humores

animales

animales etiam in ſano corpore vivente tendunt, et poſt mortem brevi tempore ad putredinem ruunt, graviora mala extemplo oriuntur; ſpontanea enim in hoc vitium proclivitate non aceſcentibus refraenata, novis contra ſuppetiis adaucta, fluida putrida et acria fiunt, virium dilapſum, febrem, inflammationem, furorem excitant; ſolida erodunt, et haemorrhagias, ſuffuſiones, gangraenas, &c. efficiunt: Ex his liquet, quod, juſta horum miſtione, corpori et valetudo et vigor conſtent; vegetabilia enim aceſcentia proclivitatem animalium putredini emendant, ſalia, in fluidis noſtris continuo evoluta, ad excretiones dirigunt, et plethoram noxiam cavent; ſimul, cibus animalis nutrimentum facile praebet, nec primas vias fatigat, roburque totius corporis, ſemper a tenſione vaſorum magna ex parte pendens, auget; tamen multo tutius eſt, ad cibum, ex vegetabilibus majori ratione quam animalibus refectum, inclinare: Lac, ut partim vegetabilis, partim ingenii animalis participans, nutrimentum et robur jure ſuppeditat, pra-

vam

vam humorum deceſſionem cohibet, et ſtimulo corpus vix afficit; exinde ſaepe evenit, morbos, qui a diaeta enormi ortum ſuum duxerunt, uſu ejus curationem ſolum admittere. Nonnulla ſunt corpora in ſtatu ſuo recenti ad nutritionem commoda, ſed quae ſale, fumigatione, aromatibus condita et indurata, ſolutioni aſſimilationique reſiſtunt, et, poſt varias affectiones ortas, moles cruda et indigeſta ab ore ſaepe rejicitur.

Hactenus de alimentis loquitur; at luxuria, etſi ſatietate obruta, ad patinas perpetuo prona, varia condimenta vocata paravit, quae igne et ſtimulo ſuo appetitum dilapſum reſuſcitare valent; huc, praeter caetera, liquores vinoſos et ſpirituoſos referrem: Ea alimentum indurant, minus ſolutionis et fermentationis capax reddunt, ad contractiones enormes ventriculum adigunt, digeſtionem et abſorptionem turbant; diatheſin inflammatoriam, febrem, &c. ſyſtematis nervoſi vibrationes inordinatas, &c. excitant; difflato tandem ſtimulo ac ſedato impetu, omnes actiones languent, totum corpus, pro

ratione

ratione prioris excitamenti, ingraveſcit, ad ſtimulum fortiorem refugere neceſſe ſit, donec vis nervea, reiterato impetu attrita, amplius cieri recuſet.

Decet praeterea mentionem facere de alienorum uſu, quae ineptia in morem perduxit: Cl. Huxham exemplum viri dedit, qui uſque ad mortem ſe redegit, magnam ſalis volatilis copiam intempeſtive edendo. Nicotiana nunc in uſu quotidiano appetitum digeſtionemque proſternit, non ſolum ſalivam horum qui eam maſticant, aut fumum ejus inhauriunt, abſumendo, ſed vim propriam ſedativam, in iis pulverem per nares etiam haurientibus compertam, exſerendo.

Hiſce ergo noxiis fugatis, et alimentis rite ſelectis, dein cavendum eſt, ne in cibi quantitate, ut perſaepe accidit, deſipiat quivis: Si victu animali potius utetur, modicum, ad defectum naturae reficiendum, ſufficiet; uberior vis, plethoram, diatheſin phlogiſticam confirmat; et quanquam hic corporis ſtatus robore pollet, ad morbos tamen periculoſiſſimos facile et ſubito tranſit: Ingluvies

vies quotidiana non ſolum morbis exitialibus corpus proclive offert, ſed actiones et corporis et mentis cito ſubvertit. Incolae harum inſularum cibo animali nimis indulgent, et ſequelae quidem in multis ſuis morbis ſcatent: Civis Anglicanus, qui per varias patinas, mutatione et vino interpoſito, appetitum dilapſum provocans, ruſpatur, aliarum regionum menſam gracilem et vulgarem miraretur, imparem eſſe ad vitam ſuſtinendam putaret, et nequaquam crederet Cornaro nobilem vegetam valetudinem uſque ad centeſimum annum duxiſſe, levis cibi unciis duodecim, quatuordecim tenuis vini per diei ſpatium ſat contentum: In memoria ergo haec regula ſemper retinenda eſt, nunquam ſatiari cibo; nihil enim tam multos et graves morbos, ſenectutem intempeſtivam vexantes, ut ſaepe reiterata ſatietas infert.

Natura omnibus animalibus ad ſitim compeſcendam aquam offert; ſed ars humana, ſimplicitatem et puritatem reſpuens, aquam variis, praecipue aceſcentibus et ſtimulanti-

bus, impraegnavit; de horum effectibus ab antea traditis judicari poteſt ; illa, ſi vegetabilibus victu animali permiſtis, ut jam monitum fuit, utamur, nequaquam ſunt neceſſaria, et forſitan ventriculi actionem male afficiant : Aqua pura, neque acido debilitans nec ſtimulo fatigans, frigore ſuo ventriculum corroborat, materiem ſalinam in noſtris fluidis continuo evolutam ſolvit, et per vaſa excretoria, ne corpori injuriam inferret, deportat ; aliquando autem in palude ſtagnans, ex corruptione animalium et vegetabilium, quibus ſcatet, nociva fit; aliquando in certis locis, praecipue montanis, alienis, per quae emanat, vitiatur ; ſed haec aliqua qualitate ſenſibili ſe fere manifeſtant ; ergo aqua leviſſima, motu agitata, frigida, calore, ſapore, odore expers, eſt eligenda. A juventute mea tamen procul abeſto, potationes ex toto interdicere ; quid enim curas depellere, vitam exhilarare, amicos conciliare, et hilares feſtivoſque reddere, magis quam libatio modica valet ? Et ſi aliquando, jucundo compotore allecti, forte pergraecaremur, incom-

moda non longo poſt tempore avolant, nec, ut ab ingluvie, perſtant. Pernicioſa * eſt infuſio nunc multum in uſu, nempe Theae; hujus in ventriculo et reliquo corpore debilitando effectus, permultis etiam medicis ad aquam calidam attribuendos eſſe videbatur; ſed nonnullis ab experimentis manifeſte apparet theam vi ſedanti gaudere; multos quoque novimus, qui, theae infuſionis ab unico tantum pocillo, palpitatione, pulſu debili, frequenti, inſigni ſaepe haud ſine manuum tremore, affici ſolent; tamen, ſocietatis gratia, multa aquae calidae pocula cum ſacchari lactiſque paullulo, ullo ſine incommodo ebibunt: Cel. Whytt frequentiam ventriculi et nervorum affectionum uberiori theae uſui praecipue attribuit: Iiſdem quoque effectibus, ut multis exemplis liquet, potatio coffeae infuſionis ſtipatur.

Quod ad proportionem inter cibum et potum ſervandam pertinet, neque normis exaequari poteſt, nec multi refert; nam corporis vires,

* Newman, diſſert. inaug.

vires, variis hujus vicibus, notabili ſapientia ſe accommodant; ſi pars ſanguinis tenuior deficiat, ſitis ad potum confugere ſuadet, interea, ut reſiduum ſervetur, omnes ſecretiones cohibentur; contra, aqua nimis affluente, exuberantia per excretoria eliminatur: Attamen veriſimile eſt alterutrius exceſſum, ſi diu protrahatur, laedere poſſe: Abundantior potio, maxime calida, primas vias debilitat, cachexiam, vaſorum ſecretoriorum laxitatem inducit, aut retenta, effuſioni in internas cavitates occaſionem praebet: Contra, ubi alimenta ex ſe non liquida potu parciore quam juſta humectantur, ventriculus gravatus ſpiſſam ſarcinam aegre digerit, inteſtinis difficulter eliminandam tarde tradit, ſtatus inflammatorius, ſecretionum defectus, fluidorum acritas, calor major, &c. oriuntur: Indicare ſufficit, majora diſcrimina ex hac quam illa origine provenire.

"Denique, et in temporibus cibandi potandique peccari poteſt; his quidem indicandis non minus quam moderandae quantitati, famem ſitimque natura conſtituit; at multa

multa ſunt in vita civili, quae, ab homine non ſoli ventri nato, determinatius aliquid et uniformius quam ſtimuli naturales dare poſſint, poſtulant." Mihi autem videtur, negotium civile aptiſſima cibando tempora praebere, mane ſcilicet et veſperam; haec enim intervalla, chylum recentem fluidis ad acrimoniam ituris ſuppeditare ſufficiunt, neque, non interrupto opere viſcera laſſantur, nec occaſionem helluandi, menſis nimis ſaepe renovatis, dabunt; exacerbationes quoque, meridie et ſub mediam noctem invadentes, evitantur.

C A P. II.

DE MOTUS STATU.

Homo ad ſocietatem proclivis, et praecipuam in mundi theatro perſonam acturus, tam exquiſite formatur, ut vita ex neceſſitate activa ad ſecundam valetudinem inſigniter conduceret; et, quanquam multi a divi-

tiis

tiis elevati, omne negotium, ut opprobrium, ſpernunt, laboribus alienis, ſicut fuci, ſegniter fruentes, hi tamen multis morbis, pigritiei ſuae, et merito revera, debitis, vexati, levamen denique ab exercitio ſolo ſperant; aut ſemianimes, et agricolae invidentes ſanitatem, laboris honeſti munus, vitam aegre protrahunt.

Vis corporis motrix, dum munere ſuo fungatur, a motu et actione, quodam circuitu, incitatur et roboratur; nam nimia quies debilitatem ſyſtematis nervoſi, ad motum impotentiam parit; "multum quoque damni humorum circuitus ob hanc cauſam patitur, ut qui ſolis commiſſus vitae viribus, deſtitutis exercitii ſuppetiis, per vaſcula minora primum, dein per univerſum ſyſtema, langueſcit;" inde in vaſis accumulatio et obſtructio, ſecretionum impedimenta, et a ſtatu ſano humorum aberratio: Actiones cibum aſſimilantes peſſime afficiuntur, a motu enim externo non adjutae, imperfecte coquunt, lente propellunt, unde omnia dyſpepſiae ſymptomata, aliaque innumera mala ori-

oriuntur: Sed motus muſcularis, ſanguinem in ſuis vaſis agitans, per minima protrudens, circulationem accelerat, et ad corporis ſuperficiem praecipue dirigit, excretoriiſque ibi ſitis patefactis, in humores mutationem inducit exoptabilem: Nam, ut vegeta valetudo ſyſtemati humano conſtet, neceſſe eſt, aequilibrium inter ingeſta et excreta ejus perpetuo tueri; hunc autem ſcopum recte attingere, non ſufficit certam humorum proportionem detrahere; ſed quoniam fluida ad corruptionem, propter calorem et motum, ſemper proclivia ſunt, ea, longiori tempore retenta, inde hiſce poteſtatibus magis vitiata, aptiora fiunt ut eliminentur; et exercitium, haec gradatim eliminando, omni evacuationi ab arte inſtitutae longe ſuperat: Mirus etiam inter corporis ſuperficiem et internas ejus partes conſenſus obtinet, hic cum ventriculo maxime notabilis, aliis quoque viſceribus ſe manifeſtat; exinde decurſus fluidorum ad peripheriam, centrum copia gravitateque ſua obrutum, non ſolum ſublevat, ſed tenſione forſitanque frictione, actionem

et

et tonum arteriolarum in ſuperficie incitans, robur ad partes internas impertit ; iis exercitii beneficiis, appetitus acuitur, viſcera, digeſtioni et aſſimilationi cibi ſubſervientia, officiis ſuis rite funguntur, et totum corpus validum ſe habet.

Haec ad exercitium utendum inſtigare ſufficient ; nunc autem monendum eſt, uſum ejus intemperatum ad actiones ſyſtematis turbandas multum valere ; circulationem nimis urget, partem humorum fluidam nimis difflat, pinguedinis a ſuis loculis abſorptionem, hinc celerem emaciationem gignit, inflammationem, haemorrhagias, &c. efficit, potentiaque motrix ultra modum incitata poſtea cito labaſcit : Praeterea nihil validiores in ſenectute inducenda effectus exſerit, quam perpetuus labor ; rationem enim ſolidorum ad partes fluidas auget, rigiditatemque ſenilem, muſculos carneos addenſando, vaſculos obliterando, infert. "Sic videmus ruſticos, a teneris annis jam nimiis laboribus exercitatos, ſenum inſtar, rigidos et calloſos factos quadrageſimo aetatis an-

no*:" Veriſimile quoque videtur, cerebrum, ſuo munere continuo fungens, ſimilem firmitatem, propter quam impreſſiones accipere vel impertire minus aptum redditur, acquirere.

Laſſitudo, ſeu levis fatigatio, finem exercitio imponere jubent; nam ultra, injuriam potius quam emolumentum infert; et quoniam exercitium diu protrahere maxime conducit, laborem, ut virium dilapſum citius facientem, aufugiendum eſt. Cibum ſemper antecedere debet exercitium; poſt, actionem ventriculi et aſſimilationem turbat, moles etiam ventriculi gravati moleſtat, reſpirationemque impedit.

Inter exercitii varietates, ambulatio et equitatio palmam merentur, praecipue haec, eo quod in viſcera iteratis concuſſionibus fortiter agit, et, niſu muſculari minus poſtulato, pro longiori tempore abſque fatigatione extendi poteſt: Geſtatio in rheda, vix ulla corporis ipſius exercitatione comitata, à

* Van Swieten, § 55.

a ſecunda valetudine omnino aliena eſt; ab iis quoque praecipue uſurpatur, qui lautiore dapium uſu repleti, validum exercitium magis requirerent; contra, molliter et leniter evehi, ſubſultus evitare, ſedulo ſed inepte quidem ſtudent: Frictio, alieno labore potita, valida diuque protracta, ad corpus roborandum multum poteſt, vaſa peripheriae minima in actionem provocat, ruborem caloremque excitat; morbis tamen quibuſdam, ubi ſanitatem revocare magnopere conducit, ſeu orientalem ſatrapam corporis laxati, exercitii ſoliſque propioris impatientem, recreare, praecipue aptatur.

CAP. III.

DE SOMNI MODO.

Somnus et mentem et corpus ſuis propriis exercitiis fatigatas relaxat et reficit, neque, viribus ſuis dilapſis, cibi potuſque uſu reparari queunt, ut non interpoſita etiam quiete

 opus

opus ſit; et tanta eſt in ſano ſyſtemate ad hunc ſtatum per vices proclivitas, tantaque mala ex ejus defectu nata, ut neceſſitas ſomni ad ſanitatem manifeſte conſtet. Homines autem alii ab aliis, ob varias cauſas, tantum diſcrepant, ut modum per certa tempora definire difficile ſit; tamen horae ſeptem ex viginti quatuor juſtam dormiendi metam pleriſque deſignet.

Cum vigilanti nonnulla ſemper datur energiae cerebri, motuumque voluntariorum exercitatio, ſi diutius quam juſto protraheretur, omnia mala ad exercitium immodicum antea tributa infert; ſed laſſitudo artuum, circulatio nimis aucta, calor febrilis, &c. quae nimium exercitatis eveniunt, quiete abſque ſomno ſunt fere ſublevanda. At mentis poteſtates, cerebrum ipſum, quodam nexu inexplicabili, ſpecialiter excitantes, magis forſitan quam motus muſcularis gratam ſomni relaxationem poſtulent, et, ob hanc cauſam, pervigiliis maxime turbantur, unde confuſio, ſeu idearum impreſſio non delenda, delirium,

lirium, agrypnia, fatuitas oriuntur. Sed revera noxia pervigiliae omnibus perſuadere, non omnino labores impendere opus eſt, in oppoſitum vitium fere ruitur; at ſaepe accidit, ſomnum aufugere, neque illici poſſe, ut oculos, jucundam ſuam opem vehementer exoptantes, reviſet. Cauſas, quae ſomnum a corpore, nullo morbo aliter laborante, avertunt, et inde effectus jamjam memoratos inducunt, ad diaetae errata, exercitii defectum, ſeu animi affectus, referre licet: Primarum viarum moleſtiae, qualitate vel quantitate victus natae, quietem maxime turbant, vigiliam aut ſomnia horrifica et incubum faciunt; haec ab omnibus, poſt largam aut caenam inhabilem ſero aſſumptam, comperta fuerunt: Quinetiam altum dormire, fruſtra expectet aliquis, ſi diem mollem deſidemque terat, nec ad actionem ſe accingere velit, ut recreanti ſomni vice, ad exercitium ſolum debita, per noctem fruetur: Mens anxia curiſque ſuis intenta quieti reſiſtit; videtur enim quendam eſſe cerebri ſtatum, cum cogitatione ab ipſa mente excitata adnexum,

nexum, a ſomno omnino alienum; contra, attentione, a leni, aſſidua impreſſione externa, fixa, mentem, ne ſua ſollicitudine occuparetur, avocante, ſomnum invitat, et etiam ad delirium febrile ſedandum multum conducit. Agricola, ſorte ſua contentus felixque, poſt frugi caenulam proprio labore quaeſitam, quieti ſe placide tradit, et primo mane ſomno refectus aſſurgit; dum luxurioſus ſegniſque dives in molli ejus lectu circa circum, ſi forte quietem tandem alliciet, ſe fruſtra jactitat.

Somni exceſſus injurias aeque certas, etſi tardiores, in ſyſtema humanum infert; relaxatione enim longius protracta, fotu lectus, agendique deſuetudine, laxitatem, inertiam omnium et mentis et corporis actionum efficit; circuitu quoque ſanguinis langueſcente, obeſitas aut plethora cachectica naſcitur: Manifeſte patet, experrectum lecto ſegniter indulgere iiſdem incommodis ſtipari, et haec ad ſummum aggravantur, ſi, ut hodiernis mos eſt, in lecto plumis mollioribus turgido ſuccumbatur. Alind quoque vitium nec

ſper-

ſpernandum ſuperadditur; quanquam enim natura noctem ſilentem et tenebras, ut dormiendi tempus deſignavit, homo hunc ordinem ſubvertit, et, nocte ſtudiis vel oblectamentis peracta, ad lectum ſe mane recipit, nec, donec ſol multum coeli luſtraverit, aſſurgit: Difficile eſt rationes proferre, quare et mens et corpus, ſomno per diem minus quam per noctem capto, recreantur; ut res tamen ita ſe habeat, experientia et pallida per noctem vigilantium ora plane manifeſtant; ſilentia et tenebrae ad altum dormiendum magnopere conferunt; fere quoque accidit, tempus poſt lucis deceſſum, in relaxatione ſedendi potius quam in exercitio, ſomnum praecipue poſtulante, occupari; aura etiam matutina, jucunde refrigerando, leniterque conſtringendo, toto corpori vigorem recentem impertit. Si aliquis ergo, pervigilia agitatus, ſuavem ſomnum exoptet, primo mane aſſurget, non ut diem agat in otio, at utili exercitio, et poſt caenulam frugi ſomnus gratus eum ſponte reviſet.

CAP.

CAP. IV.

DE AERE.

Fluidum aëreum quo undique circumfundimur, et quod in noſtra corpora continuo accipimus, propriis ejus qualitatibus vel variis alienis, quibus ut vehiculum eſt, multimodis nos adficere poteſt; et revera in diverſis ejus temperiei humiditatiſque dotibus, aut in effluviis, quae ſecum apportat, multas morborum cauſas, et occaſionales et praediſpoſitionem facientes, ſagacitas medicorum detexit.

Corpus humanum vi vitali praeditum, inter magnas aëris vices, calorem ejus ad gradum nonageſimum octavum thermometri Fahrenh. fere ſervat; et tametſi externa temperies multo inferiorem attingit, ſyſtema noſtrum, poteſtate ſua calorem intus gignendi reſiſtit, valetque in temperie graduum ſexaginta duorum proprium ejus ſtatum com-

commode tueri; aër ergo, prout ad hos gradus relative ſpectat, noſtris corporibus duplicem ſenſationem impertit; infra, ut frigidus, ſupra, ut calidus pleriſque habetur: Ab omnibus ergo, hiſce praefatis, facile concedendum eſt, ut aëris temperies noſtra corpora diverſimode afficiat.

Aër ſubfrigidus, diu adhibitus, perſpirationi obſtat, ſolida in peripheria conſtringit, duraque reddit, ſpaſmum inflammatorium, internas congeſtiones, et phlegmaſias inducit; praegelidum, haud minus ab experientia conſtat, praeter jam prolata, vim vitalem hebetare, minuere, vel ex toto deſtruere: Lene autem frigus, maxime exercitio comitante, omnes corporis actiones roborando, appetitum inſigniter acuando, effectus feliciſſimos edit; intenſiori quoque gradu repente et brevi tempore applicatum corpus reficere et firmare plurimum valet; nam, ſedativo amoto, actio cordis et extremarum arteriolarum, ab oeconomiae lege ſapientiſſime impoſita, incitatur, totaque ſuper-

ſuperficies rubore et ardore calet. Pro ratione aëris caloris, pulſus crebrius micantur, pars humorum aquoſa nimis diſſipatur, eaque retenta ad pravam putredinem proclivis ſit; ſolida molliuntur, laxantur; poteſtas nervoſa languore ingraveſcit, omniaque organa ſuis officiis imbecille funguntur; vis ſentiendi in impetum facile citatur, ſed debilis poſt brevem fervorem labaſcit.

Atmoſphaerae nimia humiditate vitioſa "in corporis ſuperficiem minus premit; hinc canalium parietes parte ſuae fulturae externae privantur, nec plena vi in contentos humores agunt *;" ergo oeconomiae vigor a tenſione et vaſorum in ſuperficie contractione magna ex parte pendens flacceſcit, et, conſueta impreſſione ablata, totum ſyſtema aegre et moleſte ſe fert; praeterea perſpirationi, cui ſalus plurimum alligatur, minime favet; quia vaſorum actionem imminuit, et aqua antea repleta, vaporem perſpirabilem deportare parum aptatur; pars denique ſanguinis

* Gaubius.

guinis aquoſa, et fluidis, quae expelli debent, retentis, et aliis procul dubio abſorptis, nimis aucta, in propriis ejus vaſis, rubore et glutine, propter debiles ſolidorum niſus, deficientibus, vix coercetur, exinde non pauca nec parva diſcrimina oriuntur. Aër ſiccitate praeditus, quaedam incommoda iis oppoſita, longum poſt tempus forſitan edere poteſt; ſed mala perpauca ex hac origine effluunt; contra, haec aëris qualitas, praeſertim leni frigori aſſociata, corpori amica et ſaluberrima evadit.

Quanquam autem qualitates aëris diſſimiles, propriis ſuis incommodis ſtipantur, ſi ad varia climata et incolas ſuos animadvertemus, vitam fere in omnibus appoſite degeri poſſe, cernendum eſt; corpus enim egregia poteſtate ſe regioni, qua locatur, aptandi ditatur; artes etiam quae ſocietatem exornant, ſuam ſymbolam conferunt; frigus, veſtimentis, focis, &c. calorem nativum, ni difflaretur, ſervantibus, ſeu deficientem ſuppeditantibus, debellatur. Quibus autem theoriis enodandum eſt, quod oeconomia humana in medio ardoris, res inanimatas pene conſu-

mere efficacis, vim frigus, quod exitio obſtet, generandi, ſi ita dicere liceat, exhibet; nam mercurius thermometri calore aëris Æquatoris expanſus, in os hominis in eodem coelo habitantis immiſſus, ſe contrahit; haec res vera, experimentis nuper ab ingenuoſis medicis inſtitutis, illuſtrata et procul dubio confirmata fuit. Quoniam ergo corpus humanum tanta excellentia inſtruitur, variique coeli ſtatus in effectibus ſuis tam longe diſcrepant, (tametſi ſinguli praediſpoſitionem inducendo nocent), facile colligendum ſit, morbos aëre proxime illatos, praeſertim ſubitis ejus vicibus adſcribi debere; hae in noſtro coelo mutabili, et non parvo diſcrimine, ſaepe accidunt. Mala, ex applicatione frigoris corpori antea calefacto, orientia inveſtigare, tempus neutiquam occaſionem praebet; breviter monuere, ut evitentur, ſufficit, quod, conſtrictionem ſpaſmodicam vaſorum ſuperficiei inducendo, ſeu aliter actionem ſuam reprimendo, perſpirationem impedit, molemque fluidorum ſubito contra partes internas dirigit. Experientia quoque docet, omnia, quae relaxant, aeque nocivae ejus operationi

rationi favere; contra, ea, quae vigorem impertiunt et vaſorum robur ſuſtinent, vim ejus repercutere; et inde obſervantiae conſtat, victum lautiorem vires corpori ſuppeditantem, et exercitium, extremum circuitum aequabiliter ſuſtentans, plurimum prodeſſe. Omnia vero ſunt fugienda, quae, brevi fervore citata, poteſtatem vitalem exhauſtam et debilem poſtea relinquunt: Veſtimentum laneum, ad frigus avertendum, circuitumque peripheriae adjuvandum, commode juxta corpus induitur; hoc magis convenit, ſi humiditas ſe aëri frigido adjungat. Haud leviora mala a calore, frigori protinus ſuperveniente, oriuntur; diverſimode tamen ſunt obvianda, ut ſtimulus corpori vivo calor fortiter agit, molemque fluidorum auget; ergo refrigerantia, aceſcentia, et victus tenuis majori cum fructu uſurpantur.

Si aliquis juventutis ſenectutiſque ſtatus diſſimiles et mutationes, quae in corpore humano, vita progrediente, accidunt, notaſſet, ſimulque reſpiciens eas effectis ab aëris qualitatibus editis comparaverit, in mentem ejus

extemplo

extemplo veniet, has ad vitam protrahendam, ſenectutiſque incommoda deferenda, utiliter uſurpari poſſe. Ætate juniori ſolida mollia et laxa fabricantur; fluida abundant, et cor, magnam caetero ſyſtemati rationem habens, frequentius proſilit; vis nervoſa, propter tenſionem a fluidorum copia datam, et forſitan teneram ejus ſtructuram, exquiſita ſenſilitate praeditur, et ad impetum celere citatur: Annis autem jam ingraveſcentibus, corpus quaſdam mutationes patitur, quae omnes ejus actiones impediunt; partes ſolidae nunc rigidae fiunt ac indureſcunt; fluidae deficiunt, aegre propelluntur, et vaſa aut arctantur, ſeu penitus excaecantur. Veroſimile etiam videtur, firmitatem et denſitatem cerebri, ſenſus motuſque originis, ſub ſcalpello detectas, ad hebetudinem torporemque ſenilem conducere; minime autem dubitandum eſt, inopiam fluidorum, quae ad energiam nervoſam tenſionem et calorem impertiendo, maxime ſunt neceſſaria, ad hunc ſcopum plurimum valere. In regionibus auſtralibus, ubi calor ſigna, ſtatum juveni-

lem

lem deſignantia, auget, corpus celeriter creſcit, et omnia ejus munera ad ſummum citius attingunt; at ſimili firmitate et robuſtate, ut in frigidis, nonnunquam gaudet; ad juventutem ergo producendam, mihi videtur, clima modice frigidum, quod incrementum nimis velox inhibeat, maxime aptari: Sed poſteaquam ακμη peragatur, et corpus, ſignis antea memoratis, ad ſenectutem vergere inchoet, regio ſole propiore felix, vires vitales fovendo, ſolida jam rigeſcentia molliora reddendo, juvenilem aeſtatem renovabit. Senes qui hyemem in noſtro climate aegre ſuperaverunt, tempus anni calidum adveniens laete ſentiunt, et, "ſenectute pauliſper repulſa, ſcintilla pene extincti ignis eos denuo animare videtur." Si aliquis ergo mala ſenectutis procraſtinare vitamque producere ſtudeat, ſimulac ſenilia incommoda ſe oſtendere primum incipient, quod citius aut ſerius ſecundum conſtitutionem, patriam, et vitae genus evenit, in clima calidius peregrinetur; tamen ad regionem fervidiſſimam iter non protinus inſtituendum eſt, at pedetentim,

prout

prout vires dilapſae poſtulare videantur. Gregorius, egregius noſter Profeſſor, omnia huc pertinentia fuſe et eleganter tractavit *.

Praeter aëris conditiones, de quibus nunc dictum eſt, nocivis alienis non raro inquinatur; et, quanquam eae plerumque latentes, attentionem hominum minus captant, tamen, propter effecta exitialia, quae ſaepe et ſubito exerunt, ſedula obſervatione non ſunt indigna.

Spiritus, ad vitam ſuſtinendam ſemper neceſſarius, talem mutationem in aëre in pulmones recepto efficit, ut poſtea neque vitam animalem nec flammam alere commodus ſit; nec minus vitiatur effluviis a ſuperficie corporis, etſi ſanitate gaudentis, continuo avolantibus, ita ſi non difflatus, ſeu quibuſdam mediis emendatus ſit, vim tam peſtiferam ſibi comparat, ut improviſam mortem ſubito inferre; hujus pertriſtia exempla febris carcerum nuper etiam promulgata fuit, et clariſſimus Cullenus (quo nullus rerum cognoſcere

* De morbis coeli mutatione medendis.

noſcere cauſas ſagacior eſt) a natura febrium vulgo graſſantium veriſimile eſſe exiſtimat, has fere ab eadem origine ortum ſuum ducere, dubitari non poteſt, quin contagioni, ut late ſerpet, favere. Sed, ne aër vitiatus, ſtagnatione, ad vitae munera tandem parum idoneus evaderet, ventis, ut officium ſuum aërem agitare et renovare, aſſignatur; hoc homini indicat, ut, omni impedimento dimoto, aëri per domos ſuos perflare ſaepe liceat, effluvia nocitura diſſipare, et jucundam ſenſationem corpori impertiendo, reficere: Quinetiam, ut vapor perſpirabilis, magna copia a ſuperficie ſurgens, veſtimentis retentus haeret, perницioſuſque ſanitati cito evadit, ad morbos praecavendos inſigniter convenit, veſtes, praecipue intimas, ſaepe mutare, corpuſque lavare et fricare.

Omnia putrefactioni, fermentationi, effervеſcentiae vel ignitioni ſubeuntia, et quaedam mineralia vaporem lethiferum gignunt, aërique impertiunt; hic extinctione immerſae flammae detegitur, et commotione diſſipari, minuſque nocivus reddi poteſt: Effluviae quo-

quoque ex paludoſis agris morbos crebro inferunt.

Etſi haec omnia aëre ambiente tenentur, multis tamen obſervationibus convenit, nunquam ab origine ſua longe vagare; contagium maxime peſtiferum, vi ejus lethali, niſi adſtantes raro aggreditur. Utile eſt attentionem huic praebere, ne mens vano metu trepidaret, quo nil contagio majorem potentiam addit, etiamque ut aufugietur; ſi id facile non fieri poſſit, ab actionis ſuae indagatione ducimur vim vi opponere; nam ex multis argumentis conſtat, effluvia, cum humana tum paludoſa, ſyſtema nervoſum debilitando nocere; fides huic ſententiae comparatur, notando, omnia, quae vigorem imminuunt, impetui ſuo admodum favere; at victus lautior, exercitium idoneum, corpus, peſte ipſa ſaeviente, ſoſpes conſervaverunt.

CAP.

CAP. V.

DE ANIMI AFFECTIBUS.

Corpori humano duo ſunt oppoſiti ſtatus, torporis, ſcilicet, et mobilitatis; ut ſimiles animi conditiones hos comitare ſoleant, ab omnibus nonnunquam ſenſum fuit; hae autem in animo ex quacunque cauſa primum orientes, corpus intime alligatum in conſenſum ducunt, et ſtatum ſuum, ſive bonum ſive malum, participare confeſtim cogunt: Quoniam ergo tam arcte implicantur, et mutuo inter ſe ita communicant, ratiocinationem ab uno ad alterum traducere licet; hinc, ſtatus duo animi, corporeis conſentanei, deſignentur, et perturbationes, iis adjunctae, deprimentes et excitantes apte nominentur; hae, ſpem, laetitiam, iram; illae, metum, moerorem, et livorem, praecipue complectuntur; aliae quoque ſunt, quaedam ex iis complicata, effectus vero omnium his duobus capitibus referri queunt.

Metus ingens et ſubito adoriens ſyſtema nerveum violentiſſime turbat, ſpaſmos, convulſiones, epilepſiam, ſtuporem, fatuitatem efficit; vaſculis minimis ſubito conſtrictis, ſimulque vigore cordis imminuto, adſunt pallor, frigus, congeſtiones internae, ſingultus, ſpiritus difficilis, vel aliquando mors. Sed alii deprimentes, affectus, chronici potius, appetitum et digeſtionem proſternunt, maciem, cachexiam inducunt; cordis et arteriolarum actionem debilitant; pallorem, perſpirationis ſuppreſſionem, humorum ſtagnationem creant; torporem, melancholiam, lethargum, catalepſin inferunt.

Remedia ſunt morbis animorum ſicut corporum adhibenda; et quoniam affectus animi hos corporis ſaepe efficiunt, non raro comitantur, et praeſcripta inania reddunt, medico philoſophum quoque eſſe, plurimum prodeſſet; ſed ex ratione, homini ut animi perturbationes reprehenderet, donata, ſolamen petendum eſt; huic multum auxilii praebet, affectus iis, quibus aliquis gravatur, oppoſitos excitare; quam difficile autem et exqui-

exquiſitum opus eſſet, moerorem laetitia, livorem benevolentia, debellare? Ante omnia, mala ex hac origine proventura avertere, proſunt itinera, non in rheda, ubi commercium cum externis praecludi poteſt, at in equo capta; tum enim occurrunt nova ubique et inſolita objecta, quae in mentem avagunt, cogitationem mutant, et continuo varietate delectantur; ſicque, curis domeſticis profligatis, deletur illa idea, quae perpetuo menti obverſabatur, vel ſic ſaltem minuitur ejus efficacia: Ob hanc cauſam, toties medici in melancholia ſuadent aquas imnerales in ipſo fonte potandas, et ſaepe eligunt quam maxime diſſitas, modo concurſu multorum aegrorum celebres ſint *: Plurimum quoque valent itinera, effectibus in corpore, a pathemate deprimenti orientibus, obviam ire; nam humor perſpirabilis protinus ſupprimitur, vireſque coctrices officiis ſuis debile funguntur; quibus vero remediis haec magis eriguntur, quam equitatione? Memoria quoque

* Van Swieten, § 1097.

que dignum eſt, quod vitam, ſecundum regulas ſub alia capita praeceptas, degere, et mentem et corpus tam efficaciter confirmat, ut, iis animi perturbationibus, quae aliter in peſſimum agerent, parum afficiantur; ſic Cornaro, ex temperantia clarus, narrat, cognatos ejus minus moderate viventes, moerore propter litem ad mortem uſque labaſcere, dum ipſe, etſi de propriis ejus fortunis acta fuit, ſoſpitem ſe ſervaviſſet.

Affectus animum potenter et improviſo excitantes, prae reliquis ira, mortem etiam inducere valent: In irato homine vis nervoſa vehementer exagitatur, valida fit et enormis actio cordis, tument omnia, truces prominent oculi, ſcintillantes, ſanguine ſuffuſi; ſequuntur effuſiones, maxime in capite, delirium ferox, et nonnunquam mors. Laetitia quoque aliquando, ubi nimia eſt et inopinata, virium reſolutione, amentia, mania comitatur, ſeu mortem apoplecticam ſubito infert: Animi autem ſerenitas, ſpe et mediocri laetitia deſignata, ad ſecundam valetudinem plurimum conducit; perſpiratio

in

in hoc placido ſtatu libere avolat, et totum corpus viget; ipſe animus, exiſtentiae ſuae jucunde conſcius, ex omnibus voluptatem captat; chari ſumus amicis, et benevolentia omnes petimus: Dolendum eſt, hanc ſuavem ſerenitatem, ab externis, ut conditionibus aëris, &c. in corpus agentibus, tam ſaepe deprimi poſſe; at, ſi ad normas antea traditas vita agatur, talia tranquillitatem animi vix ſolicitant.

Summa manu huic opuſculo jam impoſita, expectat, et merito, lector, pro infinitis ejus defectibus excuſationem invenire: Parvi quidem momenti habui, auctores graves pervolvendo, et multum temporis conſumendo, exquiſite elaborare opus, quod, etſi abſolutum, ut tyronis tentamen, in oblivia ſtatim abiret.

Nil reſtat, niſi, ut celeberrimis hujus, et academiae Glaſguenſis Profeſſoribus, ob urbanitatem et beneficia ſua, gratias agam, et ut ſociis meis jubeam valete.

TANTUM.